

ORATIO STUDENTIS AD S. THOMAM AQUINATEM

By Blasius Verghetti

Salve, Thoma, qui doctrina
Superemicans divina,
Celebraris undique.

Summa fulges pietate,
Atque mira sanctitate,
O Doctor clarissime.

Tuam scholam frequentantem,
Me discipulum precantem,
Tuo reple lumine.

O resplendens sol in caelis,
Fac ut ego sim fidelis
Explanator dogmatis.

Ope tua singulari,
Fac ut animas lucrari
Jesu Christo valeam.

Fac ut ferveat cor meum,
Adorando Christum Deum,
In Sacro Convivio.

Sanctam Virginem Mariam,
Matrem dulcem atque piam,
Fac devote diligam.

Fac me studiis maturum,
Mentis, cordis, carnis purum,
Temet sequar Angelum.

Sedens prope tuum latus,
Fac ut tandem sim beatus,
In superna regia.

Christo Regi decus, gloria:
Christo jugis sit victoria,
Cum Patre et Paraclito. Amen.